

mitti poterat, neque enim ripas præaltas habebat, conserdit non omnino pleno exercitu, quod non omnes, qui expectabantur, erantque jam in itinere, equites peditesque convenerant. reliquæ Ludovici copiæ apud Novariam distinebantur: ad quem quidem a Senatu petentem, ut Græcos equites ei mitteret, quibus eo bello uti posset, Senatus Bernardo Contareno præfecto sexcentos misit.

Rex Luca profectus per Apennini juga ad Apuanos Ludovici municipium venit. Oppidani Joannis Jacobi Triultii suasu sese regi dediderunt: quos tamen paulo post ejus milites pace fracta diripuerunt, oppidumque incenderunt. Ex eo loco rex Triultium cum prima acie præmisit, qui montano confecto itinere se expeditaret, exploratoresque mitteret, ut quid hostes molirentur, scire posset. Interim imperator, præmissis equitibus, atque militibus, quot viñum est, ad Gerulam vicum, qui a Foro Novii abest passuum millia tria, uti regis itinera cognoscerent, locumque castris caperent, postridie ejus diei mane cum reliquis copiis omnibus eo venit. erat autem universus exercitus equitum ad duodecim millia, militum prope altera totidem. Ibi cum esset imperator, a speculatoribus certior factus est, Triultium cum equitum cataphractorum & militum Helvetiorum manu præmissum, e jugis in planitiem ad Forum Novii descendere. Ille autem, ut postea cognitum est, vicum illum magnopere opportunum, in quo se regiæ copiæ confirmarent, atque ab Apennini itinere reficerent, capere volebat: eoque partein suorum præire jusserat: ipse cum reliquis se, ut sequeretur, comparabat. Ea intellecta re, imperator Græcos equites sexcentos præmisit, qui eos impedirent: ipse cum equitum firmiorum agmine illis præsidio est subsecutus. Græci velocitate sua usi, ubi primos venientes conspexerunt, in eos impetu facto, prælioque commisso, universos repulerunt: repulsos usque ad castrorum munitiones consecuti, complures eorum occiderunt, complures captivos fecerunt, uno suorum tantummodo amisso, quem parvi tormenti pila e vallo missa trajecerat. Eo

H. Bembi.

E 3

mor-